

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Lothvs.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

remittere. En ego hodie exterminatus a te, ex ipso solo terrarum errabo vagus per orbem terrarum, fugiens tuum conspectum: ita, ut qui proximus invenerit me, interficiat. *ſ. d)* Imo vero quicumque interfecerit Cainum, subibit pœnam septupli. Quare apponam tibi hanc notam, ne, si quis incidit in te, perimat te.

SENTENTIA.

Injusti nequeunt ferre justos. Quæ clam perpetrantur, palam punientur.

LOTHVS. Gen. 18, 19.

ARGVMENTVM.

Abrahamus excipit Genios hospitio: & Jova ei prolem promittit, consiliumque suum de Sodomæ everfione patefacit. Idem facit deinde Lothus, & a Geniis eripitur ex periculo.

Abrahamus, Jova, Genii duo, Puer, Sara, Lothus, Uxor Lothi, Sodomitani.

Video tres homines adversum me. Non dubium est, quin sint defessi de via, præsertim hoc tanto æstu: quare curram *a)* eis obviam, ut retineam eos apud me. Domine! si vis facere mihi gratissimum, noli alio potius divertere, quam ad me. Lavabitis pedes paucula aqua adhibita, deinde requiescetes sub arbore. Ego interea curabo vobis parandum panem, ut recreetis animos vestros:

d) Hinc perpendendum est, quantopere abhorreat Deus ab homicidio.

a) Pii sunt ad benefaciendum veloces, & aliis benefacere beneficii loco ducunt.

vestros: deinde pergatis. Hæc est vobis idonea
 causa divertendi ad me. *G* Sic faciemus. *A* Jam
 propero in casam, ^{b)} Sara! fume propere tria fata
 farinæ filiginæ, ex qua deposita facias panes sub-
 cineritios. Nam adventant nobis hospites, quos
 ego volo accipere laute. Itaque jam curro ad bo-
 vile: volo enim maclare vitulum, quod eos tra-
 ctum opipare: tu interea cura, ut nihil desit eis,
 quod opus sit hospitibus. *S* Fiet. Propera Hagar,
 incende ignem, tepefac aquam ad despendum,
 dum ego promo farinam. Age jam, dum aqua
 tepesit, para maclram, subige farinam: expedia-
 mus omnia, quæ jussit herus. *A* Macla eum ex-
 pedite puer. Heus Sara! *S* Quid vis, mi vir? *A*
 Cura nobis luculentum focum. *S* Jam accensus
 est. *A* Impone ahenum. Volo ego hospites meos
 curari diligentissime atque humanissime. Estne
 jam detracta pellis isti vitulo, puer? *P* Imo jam
 dissectus est. *A* Conjiciamus hæc frustra in ahe-
 num. Subjice tu plura ligna, ut coquantur cele-
 rius. Despuma jus, Hagar, instrue mensam: sed
 foris in umbraculo, sub arbore. Nihil libentius,
 quam viatoribus benefacito: & certe eos negligere,
 inhumanum est. Hospites, omnia sunt para-
 ta, accumbite, & vescimini læto animo. Habetis
 hic butyrum, habetis & lac. Boni consulite quod
 adest, quodque Deus largitur in præsentia. Puer!
 appone eis vitulinam. *J* Ubi est Sara, uxor tua?
A Adest in tabernaculo. *J* Cum revisam te ea-
 dem tempestate anni, quæ nunc est, habebit Sara

A 3

UXOR

b) Pii sunt docentes beneficentiam.

6 DIALOG. SACRORVM

uxor tua filium. *S.* c) Ha ha he! ridiculum. Ego jam vieta sum, & indulgebo voluptati? scilicet: cum meus quoque dominus consenuerit. *J.* Cur tandem ridet Sara, negans se posse parere, quia consenuit? d) Estne aliquid, quod Iova non possit efficere: Cum revisam te, inquam, anno vertere, habebit Sara filium. *SA.* e) Ego non risi. *J.* f) Imo vero risisti. Sed jam pergamus conficere iter reliquum. *A.* Ego comitabor vos, nisi molestum est. *J.* Ergo ne celem Abrahamum, de eo quod sum facturus, ex quo profectura sit gens maxima & potentissima, per quem omnes gentes orbis terrarum sint g) consecuturae felicitatem? nam certo scio, h) cum praecipuum esse suis liberis, & porro suae in posterum stirpi, ut vivant ex meo praescripto, & colant iustitiam atque jus, ut ego praestem Abrahamo, quae promisi ei. **P**rofecto non celabo. Abrahame! volo tibi indicare qui sim, & quo eam. Ego sum Iova. Cum viderem dissipatos esse rumores de tot tantisque flagitiis Sodomitanorum & Gomorrhæorum, i) statui devenire huc, & explorare, utrum sint plane profligati, quemadmodum accepi fama & auditione:

- c) Quae supra vires humanas promittit Deus, ea ridicula iudicat humana ratio.
- d) Deus homines quoque posse, facit, quae alioquin videntur fieri non posse.
- e) Metus hominis impellit ad mentiendum.
- f) Molesta reprehensio utpote peccati ex infirmitate commissi.
- g) Nova promissio Messiae.
- h) Iusti suos iustitiam docent.
- i) Cognoscendum, antequam iudices.

ne: an non sint. *G.* Nos quidem antecedamus.
A. Sed quid? ^{k)} perdes ne etiam bonos una cum
improbis? Si erunt quinquaginta viri boni in urbe,
an etiam perdes? neque ignosces illi loco propter
illos quinquaginta bonos, qui erunt in eo? Absit, ut
tu sic facias, ut interficias bonos cum malis, sitque
eadem conditio proborum & improborum. Absit,
ut tu, qui moderaris totum orbem terrarum, non
facias æquum. *J.* Si invenero in urbe Sodoma
quinquaginta viros bonos, ignoscam toti loco pro-
pter eos. *A.* Facio fortasse audacter, qui audeam al-
loqui te Dominum meum, ipse pulvis & cinis: sed
tamen si forte defuerint quinque de quinquaginta
bonis, an propter quinque excindes totam urbem?
J. Non evertam, si invenero ibi quadraginta quin-
que viros bonos. *A.* Quid si quadraginta? *J.* etiam
propter quadraginta abstinebo. *A.* Quæso ne ægre
feras, Domine! si pergo quærere: Quid si triginta?
J. Etiam sic abstinebo. *A.* Possim videri audacior,
qui alloquar Dominum meum: Quid si viginti?
J. Etiam eorum causa non pervertam. *A.* Inter-
rogabo te hoc postremum, si tibi gravis non sum:
Quid si decem? *J.* Propter decem ^{l)} non ever-
tam. *G.* Jam advesperascit, & nos appropinqua-
mus urbi. *L.* Video huc adventare duos hospites.
Ibo obviam, ut eos deducam ad me. Salvete viri
præstantissimi. *G.* Salve & tu, vir humanissime.
L. Peto a vobis, ut divertamini in domum meam,
ut ibi lotis pedibus pernoctetis, cras repetituri ve-
strum

A 4

strum

k) Iusti de justorum salute solliciti.

l) Non propter majorem & minorem numerum homi-
num, sed eorum fidem in Christum.

8 DIALOG. SACRORUM

strum iter. *G.* Imo pernoctabimus in foro. *L.* At ego non patiar, divertimini ad me, accipiam vos, si non laute, at certe hilare. *G.* Fortasse erimus tibi graves. *L.* Jucundi potius: ne verimini. Tam mihi erit gratum vos accipere hospitio, quam esset accipi a vobis, si istic essem. *G.* Postquam tantopere vis, nolumus esse pertinaces. *L.* Ergo sequimini me. Hic est mea domus. Intrate: quod bonum fit. Uxor cura calefaciendam aquam ad lavandos pedes horum hospitem: & simul confice panes coquendos in foco. Vos interea hic requiescite, dum paratur cœna. Age jam, uxor, construe mensam: fac, ut omnia sint nitidissima, ne quid offendat animos horum. Hospites accumbite, utimini læto animo his, quæ suppeditantur nobis in præsentia a divina benignitate. Sed quid? quem tumultum audio, uxor? quis est ille clamor? quæ turbæ excitantur? *Uxor Loti.* Hei mihi! periimus, mi vir! *L.* Quid tandem est mali? *Uxor Loti.* Tota civitas, mi vir, obsidet ædes nostras: Juvenes, senes denique universi circumfident nos. *L.* Valde vereor, quo hæc evasura sint. Sed audio clamantes. *S.* Heus, heus Lote! ubi sunt homines isti, qui venerunt ad te sub noctem? produc eos nobis, ut eos cognoscamus. *L.* O flagitium! Sed ne trepidate hospites: exhibo ad eos, & obserabo post me januam. Adsum. Quid clamatis? *S.* Volumus videre hospites, qui diversantur apud te. *L.* Obsecro vos, fratres mei, ne tantum scelus faciatis. Sunt mihi duæ filix, adhuc a viris integræ, eas malo dedere vestræ libidini, quam sinere, ut quid noceatis his hominibus, qui commiserunt

ferunt se sub præsidium mei tecti. *S.* Recede paulisper istuc, ut consultemus de ista re. Quid facimus populares? accipiemusne puellas ea conditione, ut dimittamus juvenes? *AL.* Non est opus longa deliberatione. ^{m)} Iste unus peregrinatur in nostra civitate, & nos reget, si diis placet. *S.* Jam te, Lote, pejus mulctabimus, quam ipsos, ne tu putes nos velle subjici peregrinis. Agite, invadamus eum. *G.* Recipe te confestim ad nos Lote. *L.* O facinus audax, o profligatam & perditam nationem! Obseremus fores firmissime. *S.* Effringamus fores: occidamus istos advenas, qui cum nusquam possint habitare, veniunt ad nos. *G.* Ne trepida hospes, nunquam irrumpent nobis invitis. *L.* O inauditam nequitiam! ficcine hic violare hospites & peregrinos, quorum jus debet esse sanctissimum? *G.* Seda te ipsum: Jam videbis ultionem præsentem. *S.* Quid est hoc, o cives! ⁿ⁾ ubinam est hujus hominis ostium? *AL.* Nescio, & jam dudum id frustra quærito. Quid vos! invenistisne? *AL.* Minime vero: & mirum est. Cæcine sumus, an non hic est illius domus? *AL.* Est omnino: sed ubi est ostium? *G.* ^{o)} Lote, si quos habes præterea generos, aut filios, aut filias, denique quoscunque habes in urbe, educ ex hoc loco. Nam nos quidem jam delebimus hunc locum. Huc enim ad hoc ipsum missi sumus a Jova, apud quem

A 5 in-

- ^{m)} Peregrinis quamvis bene suadentibus, obtemperare nolle, arrogantia est.
- ⁿ⁾ Deus oculatissimus impios interdum ita excæcat, ut piis nocere nequeant.
- ^{o)} Deus in gratiam piorum etiam ipsorum amicis pacit.

increbuit tanta importunitas horum. *L.* Habeo vobis gratiam, qui habeatis rationem non solum meæ salutis, sed etiam meorum. Jam ad eos. *Ux.* Valde sum sollicita de meo viro, qui est egressus domo: ita confceleratus est hic totus populus. Metuo, ne quid gravius patiatur, etiam a suis. Nam hodie nulla sancta fides est, ne inter fratres quidem. *L.* Jam redeo. *G.* Quid egisti? *L. p)* Visus sum joculari eis, quorum salutem providebam. *G.* Homines sunt desperati. Pereant, quoniam nolunt servari, Sed jam diluculum est: & tempus admonet emigrandum esse hinc. Agedum! adjunge tibi uxorem tuam, & tuas filias, ne aggregeris ad interitum tam perditæ civitatis. *q)* Quid cunctaris? Nunquam potest nimis mature vitari periculum. *L.* Atqui non videtur emigrandum tam mane. *G.* Atqui nos non sinemus te perire, quin potius manu educemus & te, tuam conjugem & filias. Agite, exeamus ex urbe. *r)* Sed cave, si tuam vitam amas, ne respicias post tergum, neve usquam moreris in planicie. Evade in montem, ne pereas. *L.* Peto a te, Domine, ut remittas hoc mihi: postquam tu pro tua benignitate devincis me tanto beneficio, ut custodias mihi vitam. Certe non potero evadere in montes, quin me attingat illud malum, quo moriar. Sed est hic propinquum oppidulum ad confugiendum, in quo (quaeso) ut liceat mihi evadere, & ita consulere vitam

p) Impii frustra monentur.

q) In periculo cunctari periculosum.

r) Summum periculum summa festinatione fugiendum.

vita meæ: Est sane perparvum. G. s) Etiam in hac re indulgebo tibi, ut t) non evertam istud oppidum. Confer de illo. u) Neque enim licet mihi quicquam, quin tu eo perveneris.

SENTENTIA.

Deus versatur cum piis, eisque patefacit arcana sua, & eos remuneratur & tuetur. Mavult DEUS, ut innumerabiles impii vivant, quam ut vel unus pius una cum illis pereat. Major est DEI in unum piium amor, quam in omnes impios odium; quem quidem ejus amorem debent imitari pii.

ABRAHAMVS. Genes. 22.

ARGVMENTVM.

Abrahamus, jussu Dei, filium suum Isaacum vult immolare. Deinde prohibente DEO, immolat arietem.

Abrahamus, Isaacus, Genius.

Jam tertium diem iter facimus, & videor videre procul locum destinatum sacrificio. Vos hic operimini una cum asino, dum ego & puer^{a)} imus illuc, ut adoremus DEVM, postea redituri ad vos, Tu, Isaace, portabis hæc ligna ad comburendam hostiam, ego feram ignem & cultrum. Eamus. I. Mi pater! A. Quid vis, fili mi? I. Hic quidem est ignis & ligna, sed ubi est agnus immolan-

s) Piorum preces exaudit Deus.

t) Piorum vicinitas salutaris.

u) In gratiam piorum differtur impiorum supplicium.

a) Isaacus, Typus Christi.